

detur quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasam habeant unius vel alterius ecclesiae canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistantiam absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit apostolicum, non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, jure ac merito verendum est ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. » Hoc documentum refert Giraldus, *Exposit. jur. pontif. part. I. sect. 608.*

Insuper idem Benedictus XIV, in brevi sub die 19 januar. 1748 ad capitulum Veronensis Ecclesiae directo, scribit illa quae sequuntur: « Porro nolumus, inter tot tantaque privilegia eidem capitulo et canonicis concessa numerandum esse illud quod, quemadmodum tibi aequae ac nobis notum est, antiqua traditione contra sacrorum canonum sanctiones ac nostram praesertim constitutionem cujus initium est: *Cum semper oblatas*, invecum ab ipsis canonicis non modo contenditur sed etiam servatur, interressendi dumtaxat choro et cum caeteris mansionariis, cappellanis, acolythis et clericis canentibus psallentibusque assistendi, nunquam vero cum iisdem canendi psallendive, etsi nonnullos eorundem esse accepimus qui aliter sentientes a conscientiae angoribus agitantur, ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment. Itaque a te, dilecte fili noster (Patriarcha Aqueleiensis) poscimus et flagitamus ut non solum hujusmodi et abusum et corruptelam ab ecclesiastica disciplina alienam, et canonicis ordinationibus ac nostrae quoque constitutioni contrariam, penitus eveilere et eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas et hortaris ut, in posterum, ea qua decet et tenentur reverentia choro intersint assistantque, nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia, omnino canere vel psallere cum caeteris studenteant et contendant. Deinde edicas et notum facias nos, quemadmodum per hasce nostras in forma brevis litteras tibi declaramus et injungimus, decernere et statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos suosque successores canonicos, choro quidem interessentes adsistentesque, minime vero canentes psallentesque, nullo pacto ex praebendis et distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse et fore. Verum cum iis qui, hac super re, conscientiae stimulis acti, ad te confugerint, benigne indulgentes, tibi facultatem tribuimus et impertimur ut, sive per te ipsum, sive per alios a te deputandos, unusquisque canonicus qui se in canendo psallendove in choro cum aliis defecisse animadvertit, dummodo promittat se deinceps omnino curaturum ut in choro et praesens adsistat, et cum aliis canat psallatque, absolutionem a culpa et super omnibus fructibus indebite perceptis dispensatio-

nem obtinere possit et valeat. Caeterum volumus et mandamus ut nulli eorundem canonicorum, qui, licet praesens in choro adsistat, tamen minime canit psallitve, suffragentur hujusmodi indulta ac privilegia quae unicuique moderno ac pro tempore existenti canonico, ad tuorum meritorum intuitum, per easdem praesentes litteras concedimus et elargimur. »

Inter privilegia dictis canonicis concessa reperimus usum palmatae vulgo *bugia* ad instar episcoporum, tam in missis privatis quam in solemnibus cum cantu, sive in sua, sive in aliis ipsius civitatis et dioecesis Veronensis, atque aliarum etiam dioecesium ecclesiis.

Quoad autem musicam, audiatur Innocentius XII, in decreto 20 aug. 1692, cujus analysim praebet laudatus Benedictus XIV, litteris encyclicis *Annus qui*, 17 februar. 1749, his scilicet verbis: « In eo (decreto) autem, offusis variarum interpretationum (circa constit. Alexandri VII, *Piae sollicitudinis* 1657, et decretum ven. Innocentii XI, 3 dec. 1678) tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum seu motetorum cantum prohibuit. In sacrarum autem missarum solemnibus solummodo permisit, ultra cantum Gloriam et Symboli, cani posse introitus, graduale, et offertorium; in vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, antiphonae, quae initio cujusque psalmi vel in ejus fine dicuntur. Insuper voluit et jussit ut cantores musici omnino legem chori sequerentur et cum eo prorsus convenirent; quemadmodum in choro fas non est aliquid addere officio vel missae, ita etiam musicis noluit id licere; et illud dumtaxat concessit ut ex officio et missa, quae in solemnitate sanctissimi sacramenti corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomae, vel antiphonis, aliisque relatis in breviario et missali romano, carmen aliquod seu motetum, nulla verborum varietate, desumi et cantari posset, ad fidelium devotionem excitandam, dum sacra hostia elevatur, vel publice veneranda et colenda exhibetur. »

Porro, si musici et cantores possint tantum in musica recitare antiphonas in vesperis, et debeant omnino sequi legem chori et cum eo prorsus convenire, a fortiori choro ipsi et canonicis silentium imponere, et textibus gregorianis psalmisque juxta modos Gregorianos cantandis substituere cantilenas, iisdem licet textibus aut psalmis adaptas, nequeunt.

ADNOTATIO XLV.

Lib. III. Tit. IV. § IV, n. 133, pag. 446.

DE MODO PROCEDENDI CONTRA NON RESIDENTES.

« Hodie in privatione beneficii, respectu obtinentium dignitates, canonicatus, vel portiones in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, omnino servan-

dos est ordo a Tridentino prescriptus, sess. XXIV, cap. 12, *de Reform.* Is igitur est ut primo anno absentes ultra tres menses priventur dimidia parte fructuum quos, ratione etiam praebendae ac residentiae fecerunt suos; secundo anno, si eadem usi fuerint negligentia, priventur omnibus fructibus illius anni; ac demum, crescente contumacia ita ut etiam tertio anno residere neglexerint, privari possint et debeant, juxta SS. canonum sanctiones, ipso beneficio seu praebenda.

« Qui poenarum gradus, antequam deveniatur ad privationem, ita necessario servandi sunt ut, eis non servatis, nulla sit sententia, prout pluries sensit Concilium declaravit etiam pluries S. Congregatio Concilii signanter 14 januar. et 25 februar. 1741 in *thesauro Resolut.* tom. X, pag. 9 et 17.

« Praeter has declarationes, attendenda sunt etiam notata a Fagnano in cap. 11. *Ex tuae*, n. 14, et cap. 32, *de Praebendis*, n. 26, circa dictam nullitatem, in quibus refert reprehensum fuisse a sacra Congregatione episcopum Tarentinum eo quod comminatus fuerit canonico, jam decem et octo menses absentem, poenam privationis, si intra mensem non resedisset; a qua etiam declaratum fuisse testatur expectandum esse lapsum trium annorum, antequam ad privationem in totum procedatur.

« Insuper si ignoraretur ubi sint, non satis est lapsus trium annorum, sed, transacto tertio, citandi sunt tria citationis edicto ad valvas ecclesiae, et postea expectandi per sex menses, antequam ad privationis sententiam deveniatur, juxta formam praescriptam in cit. cap. *Ex tuae*, quam Tridentinum non immutavit, ut ibidem notat laudatus Fagnanus n. 25.

« Non tamen interdictum est episcopo, etiam pendente ipso triennio, contra non residentes procedere praevii citationibus, illosque suspendere, et excommunicare; licet inchoata sit via iudicii a Tridentino prescripta, juxta SS. canonum dispositionem cit. cap. *Ex tuae*, § *Contra eos*; tunc tamen devenire non poterit ad sententiam privationis, ut declaravit eadem Congregatio in *Palentina* 18 nov. 1673, lib. II, *Decretor.* pag. 393, ac *Instit. eccles.* CVII Benedicti XIV, non obstante quod, in dicto § *Contra eos*, sermo sit de praelatis ecclesiarum non residentibus, ut ibi Glossa verbo *Ipsos*...

« Praedictus autem ordo procedendi ad privationem beneficii, a Tridentino ut supra praescriptus, minime servandus est contra habentes beneficia curata non residentes, sed statim procedi potest per censuras simul et sequestrationem ac subtractionem fructuum, atque jur's remedia, quemadmodum praescribit idem Tridentinum, sess. XXII, cap. 1, § *Quod si*, juncto cap. 1, sess. VI, *de reform.* ea protissimum ratione quia, ut optime animadvertit Zypaeus, *De jure novo*, hoc eodem titulo, n. 15, cura annuarum mox ex mora periculum habet. Quod autem contra hos ita procedi possit, declaravit etiam Sacra Congregatio Concilii in *Gerunden.* 26 april. 1621, dummodo tria edicta publica pra-

cesserint, et ipsi fuerint sex menses ad praescriptum constitutionis Innocentii III cap. *Ex tuae*, hoc titulo.

« Cumque quaesitum fuisset an episcopus, praemissis dictis tribus monitionibus pro revocandis parochis ad residentiam, posset procedere ad privationem parochiae, et sic an verba illa Tridentini « etiam usque ad privationem, » intelligerentur inclusive vel exclusive, eadem Congregatio, 8 junii 1624, sensit « intelligenda esse inclusive, dummodo » praecesserint tria edicta publica, et lapsi sint sex » menses, juxta cap. *Ex tuae*, *De Clericis non residentibus.* » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 354.*)

ADNOTATIO XLVI.

Lib. III. Tit. IV. § IV, n. 165, pag. 452.

NON LICET CANONICIS ABESSE ULTRA TRES MENSES SUB PRÆTEXTU QUOD DECRETUM TRIDENTINUM NON SIT USU RECEPTUM.

Auctor noster cap. 12 *de reform.* sess. XXIV. Concilii Tridentini fideliter equidem refert, atque notat cum Fagnano et Garcia, ex sententia Sacrae Congregationis, sublata fuisse consuetudinem etiam immemorabilem secundum quam, quavis de causa, et ultra tres menses, quolibet anno canonicis abesse licuerat; sed addit aliquos canonicos, inter quos Pirhing et Sannig, docere constitutionem Concilii Tridentini in multis locis, ac praesertim Germaniae ecclesiis, non fuisse usu receptam.

Quidquid senserint ea de re praefati canonici, certissimum est eos esse deserendos, tum ex principiis ab ipsomet auctore nostro allatis, ubi de acceptatione legum, lib. I, tit. II, § VI, vol. I. p. 133; tum ex rationibus sub Adnotationibus XII et XVI vol. I. expositis; tum denique ex auctoritate Benedicti XIV, supra Adnotat. XLIV citati. Etenim si canonici non psallentes in choro cum aliis fructus non faciant suos, quacumque consuetudine sublata quae corruptela declaratur, a fortiori non residentes et ultra tres menses abessentes.

ADNOTATIO XLVII.

Lib. III. Tit. IV. § VII, n. 215, p. 465.

AN CANONICI ET PAROCHI VACANTES EXERCITIIS SPIRITUALIBUS ABSOLVANTUR A RESIDENTIA?

Respondendum affirmative saltem pro regionibus Italiae et insularum adjacentium, et pro regnis regi catholico subditis. Litterae in encyclicae, a Sacra Congregatione concilii anno 1710 ad episcopos missae, jussu Clementis XI, sic se habent:

« Reverendissime Domine uti Frater. Inter gravissimas pastoralis officii curas, quibus Sanctissimus Dominus noster assidue premitur, in eam praecipuo studio incumbit ut quicumque in sortem Domini vocati sunt, praesertim vero sacerdotes et

animarum rectores, tum sacrarum litterarum, divinarumque rerum scientia, tum etiam vitæ morumque honestate cæteris antecellant, ac in omnibus juxta monitum apostoli præbeant semetipsos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Cum etenim ipsi sint sanctiora Ecclesiæ membra, dispensatores mysteriorum Dei, christiani populi duces et magistri, mediores inter Deum et homines, lucernæ super candelabrum posite ut luceant omnibus qui in domo sunt, nihil est quod alios magis ad pietatem divinamque cultum accendat quam illorum vita et exemplum. Omnes siquidem in ipsos, tanquam in speculum oculos conjiciunt, ut inde sumere possint quod imitentur.

» Porro cum diuturnæ experientia compertum sit, ad retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem et sanctimoniam, maxime conducere ut ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent quibus quidquid sordium de mundano pulvere contractum est commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur, proinde Sanctitas Sua, pro eximio quo flagrat omnium salutis zelo, vehementer exoptans ut ipsum hoc et saluberrimum exercitiorum spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur ac vigeat, universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, cæterosque tum Italiæ tum etiam insularum adjacentium ordinarios enixe admonet ac in Domino hortatur ut illud, in sua quisque diœcesi, quo majori poterunt conatu et studio promovere satagant. Præcipue vero iis districte injungit ac præcipit ut quæ dudum san. mem. Innocentius XI Pontifex Maximus, per encyclicam epistolam a sacra Congregatione episcoporum et regularium consultationibus proposita, ad universos Italiæ, insularumque adjacentium episcopos datam, die 9 octobris 1682, quoad hujusmodi spiritualia exercitia a singulis clericis, decem dierum spatio, antequam ad sacros ordines assumantur, peragenda mandavit exacte ac inviolabiliter observari et exequi curent, et quos iisdem exercitiis per antedicti temporis spatium minime operam dedisse cognoverint a sacra ordinatione repellant penitus et arceant.

» Præterea Sanctitas Sua eosdem ordinarios admonet et hortatur ut fructu, qui sane uberrimus ex prædictis spiritualibus exercitiis percipitur, opportune proposito ac explicato, universos ex clero sibi subjectos, seu præcipue animarum rectores, confessarios, canonicos, aliosque beneficiatos chori servitio adstrictos, diligenter excitent ad eadem exercitia, saltem semel in anno peragenda in domibus religiosorum societatis Jesu, seu presbyterorum congregationis missionis, si adsint, sin minus in alia pia seu regulari domo, ab ipsis ordinariis ad id designanda et approbanda.

» Ut autem alacrius ad ejusmodi spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas Sua omnibus prælati animarum rectoribus, confessariis, cano-

niceis, beneficiatis aliisque sacerdotibus et clericis, qui per decem dies singulis annis eadem exercitia peragerint in domibus præfatis, ibique die nocturne permanserint, ac interea temporis vere penitentes et confessi sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino largitur.

» Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit. Quod ipsum servari præcipit quoad canonicos, beneficiatos, aliosque personali residentia obstrictos et chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus et quotidianas suorum respective canonice-tuum et beneficiorum distributiones quascunque, perinde ac si choro, divinisque officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem exercitia peragant, obtenta prius ab ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus et Quadragesimæ tempore ac in solemnioribus festivitatibus, nec unquam omnibus simul canonicis, aliisque choro inservientibus, sed eo adhibito modo ut chori servitium nequaquam intermittatur; et quoad parochos, idoneis prius subrogatis œconomis ab ipsomet ordinario approbandis qui animarum curam laudabiliter administrent.

» Mandat insuper Sanctitas Sua ut hæc littere publicentur in ipsa diœcesi, et in cancellariæ registis pro perenni eorum quæ in illis continentur observantia describantur, et ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

» Quæ omnia ita diligenter ab Amplitudinis tuæ vigili providentia ac pastorali sollicitudine præstanda fore confidit Sanctissimus Pater ut a Sanctitate Sua laudem, a cœlesti vero bonorum operum retributore condigna præmia valeat promereri; et Amplitudini tuæ copiosa divinorum charismatum incrementa ex animo precamur. Datum Romæ, die 1 februarii 1710. » Illæ litteræ encyclicæ, de mandato Clementis XII, ad omnes ditiones Hispaniarum regi catholico subjectas fuerunt extensæ, die 30 aug. 1732.

Præterea non desunt in Italia capitula quæ, virtute indulti apostolici, divinorum officiorum celebrationem omnino suspendere possunt, exercitiorum spiritualium causa, prout me præsentem et audiente testabatur anno 1856 Eminentissimus cardinalis pro tempore Sacræ Congregationis concilii præfectus Cagianò de Azevedo.

Huc spectat responsum Sacræ Congregationis concilii ad episcopum N. directum, die 11 dec. 1859. Petierat episcopus « utrum parochus pia peragens exercitia secessus ecclesiastici, quæ quotannis, jussu episcopi, et quidem perutiliter peraguntur in seminario diœcesano, et, durante horum exercitiorum tempore, missam die festo aut dominico non celebrans, teneatur missas hoc tempore non oblatas pro populo deinceps supplere? » S.

Congregatio respondit: « Teneri die statuta per alium, citra speciale indultum Sanctæ Sedis. » (*Revue théologique*, fascic. januar. 1861). Unde sequitur parochum, qui nequit, diebus sive dominicis sive festis etiam suppressis, ad mentem constitutionis Pii IX *Amantissimi redemptoris*, 2 maii 1858, per alium celebrare missam pro populo, dum ipse spiritualibus exercitiis vacat, teneri ad residentiam personalem strictiori vinculo prædictis diebus; ideoque esse muneris episcopi piorum secessus annui exercitiorum tempore ita præfigere ut parochi a sua obligatione diebus statutis implenda non deterantur.

RESOLUTIONES S. CONGREGATIONIS CONCILII CIRCA
RESIDENTIAM PAROCHORUM.

Hæc est summa principalium resolutionum quas recenset Giralduus, *Exposit. jur. pontif.* part. 1, sect. 358, in appendice.

I. Sola distantia loci, etiam cum æqua causa discedendi, non excusat parochum ut possit abesse a sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas repente se offerat, quæ non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi, quo casu quamprimum de discessu et de necessitate ordinarii certiore facere tenetur, ut de causa cognoscere possit.

II. Parochus, habens justam causam abeundi extra parochiam per duos menses aut tres, non satisfacit suæ conscientiæ, si petat licentiam jurans gravem se causam habere quam non expedit manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet episcopus non concedat.

III. Similiter abesse non potest in casu quo causam expressit quam vir bonus et æquus rationabiliter judicaret, licet rigidus prælatus minus æquam judicet ac licentiam deneget, vel quia movetur suspitione quod ficta sit, cum tamen sit vera; sed habet recursum ad superiorem.

IV. Non potest per hebdomadam abesse, non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo, ab ipso ordinario approbato: quæ licentia, causa cogita, in scriptis concedenda est. In casibus autem repentinis, pro absentia modici temporis, sufficit licentia vicarii foranei.

V. Non est liber a culpa nec a pœna amissionis fructuum qui, veluti per quatuor mensium spatium, ex urgenti admodum causa, ad curandam suam valetudinem, morbo gravi instante, recessit, et ad hujusmodi absentiam non petit licentiam ab episcopo quia bona fide putavit evidentiam causæ satis esse, nisi periculum fuerit in mora petendi licentiam. Non sufficit licentia tacita, sed requiritur expressa juxta formam concilii Trident. sess. XIII, cap. 1.

VI. Non licet parochi alibi degere, quamvis ob aeris intemperium nemo, nisi indigena, in eadem sede immoretur. Si tamen esset infirmus, et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum vel medicinarum, tunc potest ab ordinario dari di-

lacionem trium vel quatuor mensium ut in locis vicinioribus maneat, recuperandæ sanitatis causa, posito interea ab ipso ordinario in domo parochiali idoneo vicario cum congrua portione ex redditibus ejusdem parochiæ.

VII. Nec ætas senilis, nec exiguus parochianorum numerus excusat parochum a residentia, etiamsi vicinus parochus supplere possit; etiamsi essent in parochia tres tantum vel quatuor incolæ.

VIII. Parochi, urbis vicinitate illecti, non possunt in illa majorem anni partem traducere, subrogato etiam sacerdote qui, si forte aliquid contingeret, præsto esset, suamque operam impenderet. Iidem non possunt, sine licentia expressa episcopi, in urbe immorari, tam diurno quam nocturno tempore, relicto etiam idoneo substituto, et licet diebus festis ad proprias Ecclesias se conferant, statim vero revertantur. Nec licet parochi qui, nocturno tempore in propria residet parochia, celebrata ibidem summo mane missa, civitatem petere, ibique immorari, vel tota vel majori saltem anni parte, relicto etiam substituto; nec e contrario nocturno tempore parochiam relinquere, relicto substituto, licet in ea diurno tempore commoretur.

IX. Parochus non excusatur a residentia ex eo quod fructus sint tenues, et quod antecessores non resederint.

X. Ex causa inimicitiarum exortarum sine culpa parochi, antequam parochiæ possessionem adipiscatur, potest episcopus ipsi assignare dilationem sex mensium, ut interim confugiat ad locum propinquiorum et securiorem, constituto tamen vicario idoneo cum congrua assignatione ex redditibus Ecclesiæ; interea debet parochus modis omnibus curare ut inimicitia sedentur. Quod si intra sex menses hoc obtinere non potuerit, debet episcopus ipsi dare sex mensium prorogationem, sine tamen ulterioris prorogationis spe, quæ rarissime concedi solet, cum indulta perpetua de parochis non residendis, etiam ex rationabilibus causis, sublata fuerint a Trident. sess. VI, cap. III. Nec tamen ob unicum parochianorum odium excusatur parochus a residentia.

XI. Non excusatur propter aeris intemperiem neque tempore pestis.

XII. Parochus habitare debet in domo Ecclesiæ, vel, si Ecclesia eam non habeat, in propinquiori intra limites parochiæ, aliter tenetur ad restitutionem fructuum. Tenetur habitare domum parochialem, etiamsi esset in castro diruto et inhabitato et posita cum Ecclesia in cacumine montium, in quo nulli habitant parochiani.

XIII. Monachus deputatus parochus tenetur et cogi potest habitare in domo parochiali et apud Ecclesiam parochialem residere, non autem in monasterio distante a cura.

XIV. Episcopus non potest uti opera parochi, ut potest opera duorum canonicorum, etiam constituto idoneo vicario; nisi in visitatione diœcesis, tem-

pore a Tridentino permissio. Neque illum præficere potest muneri confessarii ordinarii monialium, licet in monasteriis sue diœcesis magnus sit earum numerus, et pauci reperiantur sacerdotes.

RESOLUTIONES CIRCA RESIDENTIAM EPISCOPORUM.

Apud eundem Giraldum loco cit. inveniuntur decisiones sequentes :

I. Episcopus, sine justis et rationabilibus causis absens per spatium sex mensium, punitur ipso jure per amissionem quartæ partis fructuum, applicanda vel in commodum fabricæ Ecclesiæ vel in pauperum sublevamen. Si in contumacia persistat, alia quartâ parte privandus est. Si pertinaciter in contumacia perseveret, si sit episcopus comprovincialis, metropolitani munus erit, si vero metropolitanus, debeat suffraganeus antiquior residens sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, eo ipso incurrenda, infra tres menses, vel per litteram vel per nuntium certiore facere Romanum Pontificem qui, spectata majori vel minori contumacia, contra episcopos non residentes animadvertet, providendo, si ipsi videbitur, Ecclesias de utilioribus pastoribus.

II. Episcopus nequit jungere trimestrem absentiæ ipsi concessum, ex æqua causa et licet grex non patiatur damnum, cum trimestri subsequentis anni, et ita a diœcesi abesse per continuum semestrem, nec, visitans sacra limina in fine triennii aut quinquennii, potest in principio alterius triennii aut quinquennii rursus visitare, et per consequens abesse a sua Ecclesia, per octo menses continuos.

III. Si episcopus v. g. per decem annos usus non fuerit vacatione singulis annis, non potest, deficiente causa a concilio prærequisita, a diœcesi abesse.

IV. Episcopi habentes coadjutores non ideoque a residentia excusantur.

V. Potest quidem episcopus morari in qualibet diœcesis parte, dummodo tempore a concilio Tridentino præscripto, sess. XXIII, cap. 1, scilicet tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et corporis Christi diebus, pergat ad cathedralem, nisi tamen munia episcopalia in sua diœcesi eos alio vocent. Si tamen, hoc deficiente, in cathedrali Ecclesia dictis temporibus non resideant, non incurrunt pœnas episcopis non residentibus inflictas.

VI. Episcopus absens, etiam ex causa a Concilio approbata, minime gaudet beneficio alternativæ.

VII. Episcopus, tempore pestis, residere tenetur in propria diœcesi, potest tamen adire tutiorem ipsius diœcesis locum, non autem removere tribunal et vicariam a civitate; nec ei suffragatur prætensa consuetudo degendi extra diœcesim, et cogeadus est a metropolitano ad residentiam.

Circa residentiam eorumdem episcoporum legatur constitutio Benedicti XIV, *Ad universa*, 3 sept. 1746.

ADNOTATIO XLVI I.

Lib. III. Decretalium. Tit. V, De præbendis et dignitatibus, § II, n. 41, pag. 471.

BENEFICIUM MONOCULARE QUID?

Juxta auctorem nostrum, beneficium monoculum vel monoculare vocatur quando prælatus illud solummodo habet ad conferendum. Alia definitio et quidem verior datur a Garcia, *Tractatus de beneficiis*, part. V, cap. 1, n. 318; qui tradit beneficium dici monoculare vel quando in una Ecclesia unum dumtaxat adest beneficium, vel si alicui competat collatio unum tantum beneficium.

ADNOTATIO XLIX.

Lib. III. Tit. V, § III, n. 61, pag. 475.

AN DARI POSSIT CANONIA SINE PRÆBENDA?

Juribus ab auctore nostro allatis, quæ aperte convincunt dari posse canoniam sine præbenda, suffragatur decretum executoriale a cardinali Legato, anno 1802, pro erectione Ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in Galliis datum, virtute cujus erigitur in unaquaque Ecclesia metropolitana vel cathedrali capitulum cum certo numero canonicatum a primo cujusque sedis episcopo definiendo, quamvis in articulo undecimo conventionis initæ inter Pontificem et primum consulem republicæ gallicanæ, die 15 julii 1801, gubernium gallicanum onus dotandi capitula non assumpserit, et aliunde ex parte fidelium tunc temporis nulla spes præbendas obtinendi affulserit. Idem confirmatur litteris apostolicis a Pio IX, pro restauranda hierarchia episcopali, in Anglia, et pro erectione capitulorum cathedralium, anno 1850 datis, necnon decreto S. Congregationis de Propaganda fide, 21 april. 1852, ubi legitur canonicas præbendas in Anglia deesse, ibi: « Cum canonicas præbendæ desint, et canonici curæ animarum, juventutis institutioni, aliisque officiis pro religionis bono, attento etiam medioeri sacerdotum numero, per diœcesim vacare debeant, existimarunt EE. PP. annuendum ut iidem ab onere residentie penes cathedralem et sacra officia persolvendi eximantur, ita tamen ut in proxima synodo provinciali episcopi curent de nonnullis diebus designandis, in quibus canonici chororum adire atque officia peragere teneantur, utque etiam apud episcopum congregentur, præsertim pro negotiis circa quæ, ex sacris canonibus, capituli sententia est exquirenda. (*Acta et decreta I conc. Westmonasteriensis*, anno 1852 habiti, in appendice, n. III.) »

ADNOTATIO L

Lib. III, Tit. V, § IV, n. 102, p. 482.

DE NECESSITATE CONSENSUS EXPRESSI EPISCOPI PRO BENEFICIORUM ERECTIONE, CUM ASSIGNATIONE DOTIS.

Huc spectant decreta, diebus 9 et 10 aprilis 1802, a cardinali legato pro Galliis data. *La*

priore legitur: « Quoniam, ut in sæpe memorata conventionione Parisiis peracta, atque a Sanctitate Sua per apostolicas supra citatas litteras approbata, constitutum est, nova a futuris archiepiscopis et episcopis parœciarum circumscriptio in singulorum diœcesibus faciendâ est, quam minime dubitamus talem futuram quæ fidelium in unaquaque diœcesi existentium tum copiam, tum necessitati respondeat, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, atque ad æternam salutem assequendam adjumenta possint deesse, ut impedimenta omnia quæ expeditam ac plenam ipsius conventionis, hac in parte, executionem a singulis antistitibus peragendam retardare possent penitus removeantur, necessarium propterea ducimus ut, eo modo quo de diœcesibus factum est, hujusmodi novæ parœciarum circumscriptioni viam sternamus. Hinc ergo est quod nos, de præfata apostolica auctoritate nobis ut supra communicata, omnes et singulas parochiales ecclesias, quæ in territoriis diœcesium novæ circumscriptionis continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque presbyterum exercetur, qui parochi, rectoris, vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum cura et jurisdictione quacumque, nunc pro tunc, suppressas perpetuo fore declaramus, ita ut, cum singulis ecclesiis in unaquaque diœcesi in parochiales erectis singuli parochi seu rectores novorum antistitum auctoritate præfecti fuerint, omnis antiquorum parochorum jurisdictio in territorio novis parœciis assignato cessare prorsus debeat, neque ullus, præter novos parochos, seu rectores a novis antistitibus institutos, illarum ecclesiarum, aut in eo territorio, parochus, rector, aut alio quolibet titulo et appellatione gaudens, censeri et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere amplius possit.

» Singulis vero parochialibus ecclesiis sic erigendis, pro congrua rectorum sustentatione eos redditus qui, ut in supradicta conventionione statutum est, assignandi erunt, iidem archiepiscopi et episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

» Hæc omnia cum singuli antistites perfecerint quod, quam citissime ut præstetur ab ipsis vehementer cupimus et hortamur, eorum quilibet nobis reddendum curet exemplar decreti, authentica forma exaratum, erectionis omnium ecclesiarum parochialium totius diœcesis suæ, adjuncto singularum titulo, invocatione, extensione, terminatione, limitibus, congrua, adnotatisque nominibus civitatum, pagorum et locorum in quibus singulas parœcias erexerint ut exemplar ipsum nostro pariter huic decreto inserere possimus ad supplementam enumerationem parœciarum et locorum, ex quibus unaquæque diœcesis extare debeat, quæ juxta receptam consuetudinem a nobis peragi debuisse.

In posteriori autem: « Deinde parochialibus ecclesiis omnibus universi gallicani territorii, a

nobis in supra memorato generali decreto nostro litterarum apostolicarum executoriali apostolica auctoritate suppressis, de eadem auctoritate primo futuro episcopo N., tenore præsentis decreti, iungimus et mandamus ut, secundum ea quæ in supradictæ conventionis approbatione a Sanctissimo Domino Nostro sancita sunt apostolicis litteris *Ecclesia Christi*, tot in N. diœcesi novo circuito, finibus, ut supra a nobis circumscripta, ecclesias seligat, easque in parochiales quam citissime erigat quot necessariæ ipsi videbuntur, diligentissima ratione habita tum copiam tum necessitatis fidelium curæ suæ subjectorum, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia atque ad æternam salutem assequendam adjumenta ullo pacto possint deesse. Eos vero redditus qui, ut in supra dicta conventionione statutum est, assignandi erunt singulis parochialibus sic erigendis, pro congrua rectorum sustentatione, idem episcopus prædictis parochialibus ecclesiis earumque rectoribus pro tempore futuris perpetuo attribuat et constituat. »

Hæc attributio canonica et constitutio dotis habet effectum conferendi ipsi doti characterem et excellentiam redditus ecclesiastici. Cf. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. XVI in fine.

ADNOTATIO LII.

Lib. III, Tit. V, § V, n. 133, pag. 488.

DE CONSANGUINEIS AD BENEFICIA NON ADMITTENDIS.

« Decretalis 25, *Dilecto filio*, hoc titulo, permittens episcopo conferre suis consanguineis beneficium vacans, etiam ex causa resignationis, correctæ est a S. Pio V, constitut. *Quanta*, 1 april. 1568, in cujus § *Præcipimus*, prohibetur episcopis ne beneficia in eorum manibus resignata, suis aut dimittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus conferant, alioquin irrita sit collatio, ibi: « Præcipimus atque interdiciamus ne ipsi episcopi aut alii collatores, de beneficiis et officiis resignandis prædictis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere. Quod si secus, ac etiam quidquid præter vel contra formam prædictam fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires et effectum decernimus non habere. »

« Et hæc prohibitio Piana habet locum etiam, quando agitur de ecclesiis parochialibus, seu beneficiis curam animarum habentibus, quæ per concursum magis idoneis conferri debent. Hinc præfati non sunt admittendi ad concursum; et, si fuerint admissi, quamvis reperti fuerint magis idonei, beneficium seu ecclesia nemini ex ipsis conferri potest, ut patet ex responso S. Congregationis Concilii per extensum relato a Benedicto PP. XIV. *De Syn. diœces.* lib. XIII, cap. XXIV, n. 4.